

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Caspar Mauritius Christophorus Teubnerus

Decas Quaestionum Illustrium Philosophicarum

Rostochi[i]: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73022290X>

Druck Freier  Zugang



R u phil 1647
Caspar Mauinitius
Christoph Tübler



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn73022290X/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73022290X/phys_0002)

DFG

D. O. M. A.

DECAS

78
H.I.

QUÆSTIONUM ILLUSTRÍUM PHILO- SOPHICARUM,

Quam

Divino favente Numine

*Consensu Amplissime Facultatis Philosophicae
in Academia Rostochiensi*

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi atq; Excellentissimi

DN. M. CASPARI MAURITHI,
Log. Prof. Publ. Præceptoris & Fau-
toris sui pl. observandi,

Publico Eruditorum Examini submittit

CHRISTOPHORUS TEUBNERUS,
Annæmontanus Misnicus,
Auctor & Respondens

Habebitur add. Januarii in Auditorio Majori.

• 6(0) 6 •



ROSTOCHI,

Typis NICOLAI KILI, Academie Typographi,

ANNO M. DC. XLVII.

1647



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn73022290X/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73022290X/phys_0004)

DFG

Suy. Oct.

QUESTIO I.

An Logica & Metaphysica differant?

I.



Uemadmodum Sol vitam largiri & conservare cunctis, quæ inferiori hoc mundo continetur, meritò creditur: Ita veritas omnes res, quas homines scire & cognoscere ipsorum interest, & in lucem edidit, & in iis dominatur imperiumq; obtinet. Hanc itaq; ut nunquam non sanctè veneremur, huic ut libenter adsentiamur, postulat necessitas. Hæc nobis sit Ariadne, cuius si rejiciamus filum, quæ insistendum viâ, ignorabimus. Hæc nobis sit, uti est Scalig. Exerc. 3. Philosophiaæ anima, quæ si lædatur, ædevadet reliqua necesse est.

2. Proindè hanc unicè suspicientes, primum adgredimur problema: An Logica & Metaphysica differant? Ita autem planum est (verba sunt Clariss. Dn. Scharff, in Auctuario Disput. Metaphys. annexo) dari Metaphysicam ut solem è mundo tollere videatur is, qui Metaphysicam velit sublatam. (Vid. etiam Scheiblerus l. 1. c. 1. tit. 6 art. 2, punct. 2.) Reperiuntur tamen nonnulli, nescio quo æstro perciti, qui Metaphysicam à Logicâ differre planè negant, exinde, quod quæ in Metaphysicis traduntur, etiam in Logicis, secundum ipsorum sententiam, proponantur. Sed hos errare liquido appetet.

3. Ubi enim agitur in Logicis de Unitate, Bonitate, Actu puro vel impuro, Actu primo vel secundo, Signato vel exercito; de Existentiâ, Subsistentiâ, Supposito, Personâ? &c. Nuspian. Confer. Clariss. Dnm. Scharff. in Auctuario spacious & prolixius hanc quæstionem pertractantem. Et si vel maximè concederemus, quædam ex Metaphysicis in Logicis explicari, indè tamen non sequitur communitatem quandam esse harum disciplinarum, vel Metaphysicam confundi debere cum Logicâ, vel Metaphysicam esse tautologiam rerum Logicarum, id quod illi assertunt,

A

Age

4. Age Metaphysics & Logices indolem penitus introspiciamus, manifestissimum evadet, in ipsa subjecti consideratione eas longissime distare. Logica enim Ens rationis efformat, nec in re scibili, ut scibili, versatur, sed tantum secundas notiones efficit, tanquam instrumenta ad scientiam necessaria; & ita scientiam non parit primario, ut causa principalis sed secundario tantum, ut causa ministerialis. Metaphysica vero Ens quia Ens in summa universitate abstractum considerat, & per se scientiam parit.

5. Quid igitur vetat, quod minus has disciplinas distinctas esse statuamus? cum Logica tantum ad modum sciendi, Metaphysica vero ad res ipsas restringatur. His ita constitutis, ut veritas magis elucescat, talem struimus Syllogismum: Quaecunq; disciplinæ objecto & modo considerandi, fine itidem differunt, ex omnino inter se differunt. Acqui Logica & Metaphysica objecto & modo considerandi, fine itidem (suis enim Metaphysics est speculari, Logices vero operari) differunt. Ergo inter se quoq; differunt, nec ulla communitas in iis esse potest.

QUESTIO II.

An Logica sit pars Philosophia?

1. Quot sunt familie Philosopherum, tot etiam fermè de hac questione discrepantes sunt sententiae.

2. Minus quidem recte Boëthius in Porphyri. p. 48. cum Academicis, Simplicio, Alberto Magno &c. differendi subtilitate, quam nunc cupamus Logicam, Philosophiae & partem, & instrumentum statuit. Stoici, Plutarchus, & Cicero partem illam Philosophiae, & quidcm tertiam faciunt. Peripateticorum cum quibus & nos facimus, duntaxat instrumentum. Sed Philosophiam accipiunt in propriissimo & strictissimo illo significatu, quo in Speculativam & Practicam dispescitur. Bart.

3. Sententiam hanc Peripateticorum utsote veritati consentaneam, non solum confirmant testimonia veterum, puta Philoponi in præf. in prior. Analyt. Alexandri in præf. in prior. Anal. Joh. Damasi. c. 3. Dialect. &c. sed & rationes insuper firmissimæ.

4. Logicam enim non propter se expetimus & addiscimus, sed propter aliud, nempe ut veritatem ex Philosophia indagare, inquirere, & invenire possimus, quod est instrumenti proprium. Neque Logicam referimus inter quinq; mentis habitus, qui materialiam totam, circa quam Philosophus est occupatus, inter se dividunt; multò minus ad ipsam Philosophiam referri poterit, ut ejusdem pars sit.

j. P. 2.

5. Præterea Logica non est determinata soli Philosophia, quæ tam
en conditio legitimæ partis est, adeò, ut si pars aliqua aliis, quam suo
toti applicetur, merum & ineptum fiat monstrum.

6. Præscribit insuper modum tantum, quomodo procedere debeam
us in rerum contemplatione; Unde etiam nominatur παιδεία discipli
næ, sive instituendi ratio, ἀνάλυσις resolutio, χεὶς τῆς Φιλοσοφίας
manus Philosophiæ, δραχεῖον ὁργάνων, instrumentum instrumentorum,
Τέχνη θεωρίης modus scientiæ, quod methodum tradat pervenien
di ad scientiam sive doctrinam rerum; Absurdum autem est non di
stinguere inter doctrinam ipsam & modum doctrinæ, ut loquitur Phi
los. 2. Metaph. 3. tex. 15.

7. Boëthius quidem & ejus asseclas, Logicam tūm instrumentum,
tūm partem Philosophiæ statuentes quod concernit, omnibus in con
fesso estidem ejusdem partem & instrumentum esse non posse; patet id
ipsum ex definitione instrumenti, quam tales nobis reliquit Philosophus:
Instrumentum, inquiens, est id, quod alterius tantum gratiæ est;
Tale instrumentum cūm sit Logica, facile liquet etiam imperito, Logi
cam & partem & instrumentum ejusdem esse non posse, cūm instru
mentum non suipius sed alterius causâ fabricatum sit.

8. Hanc suam assertionem probare quidem conatur exemplo ma
nus fabri, at minus commodè; manus enim est instrumentum animæ,
pars autem corporis, nec est fabri pars per se, quatenus faber (sic enim
soli fabri manus haberent) sed quatenus corporeus: nec quod est pars
Philosophi, est etiam pars Philosophiæ, sicut pars fabri vel sutoris, non
est pars artis fabrilis vel sutoriæ.

9. Evidenter ergo concludimus cum doctissimis Peripateticis, Logi
cam Philosophiæ partem non esse, sed tantum instrumentum, cūm
idem ejusdem pars & instrumentum esse nequeat.

COROLLARIA.

I. DEO non potest attribui genus Logicum, Sive DEUS nulli sub
est generi cum creaturis.

II. Copula non est pars Enunciationis à Prædicato & Subjecto di
stincta.

III. Syllogismus non cadit in bruta animantia.

IV. De Sophisticis Elenchis recte agitur in Logicis.

QUESTIO III.
Quodnam sit genus Metaphysices?

1. Metaphysicam esse habitum, eumq; non instrumentalem, sed principalem, quia non propter aliud, sed propter seipsum expetitur, omnibus constat.

2. Neq; tamen est ex habitibus practicis, quales sunt Ars & Prudentia, qui mentem extrinsecè perficiunt. Quia Prudentia potissimum in actione & praxi (quod est habituum practicorum) consistit, Metaphysica verò solum in contemplatione.

3. Nonnulli quidem (ut Timplerus l. i. c. i. probl. 4.) definiunt per Artem contemplativam, quatenus sumitus pro doctrinā methodicā, pro noticiā veræ doctrinæ de aliquā utilitate, & pro habitu cum rectâ ratione effectivo.

4. Verum enim verò, dūm Metaphysicam hī homines dicunt Artem contemplatiyam, contradictionem implicant, quia non datur Ars contemplativa; omnis enim contemplativa scientia à fine sic dicitur. Notū autem est nullius artis finem esse contemplativū, nisi sumatur Ars latissimē & maxime impropriè, prout denotat omnem disciplinam, industriā humanā inventam & excogitatam, & tum nūis remorum genus esset, neq; pro genere Metaphysices constitui posset.

5. Neq; respectu quodam Metaphysica per Arten potest definiri; non enim dispiciendum est, quo respectu aliquid possit definiti, sed quid in suā essentia propriè sit, aliās unius rei plures dāri possent definitiones; cùm respectus rerum in infinitum multiplicari queant. Insuper ille respectus Metaphysicas esset accidentarius; undē patet Metaphysicam perperā secundum illum respectum, (nempè quatenus sumitur pro systemate, vel noticiā) definiri, cùm non accidentariam conditio nem, sed essentiam rei exprimere debeat definitio.

6. Remoto jam habitu Practico, restat Theoreticus cui annumeratur Intelligentia, Scientia & Sapientia.

7. Intelligentiam pro genere Metaphysices ponī non posse inde appetet, cùm principia tantum eruat; Metaphysica verò & prima principia, & ex illis ortas conclusiones exquirat & consideret. Sed de Scientiā & Sapientiā maxima lis est.

8. Constat autem, quòd Scientia sit cognitio demonstrativa per causam rei, quòd oriatur ex demonstratione, quòd sit habitus ex principiis

eipius particularibus ortus : Metaphysica verò longè aliter se habet, est enim universalissima disciplina, non particularis, nec determinata ad partem Entis, quemadmodum Scientia ad Ens necessarium. Est ipsorum principiorum, non conclusionum tantum, ut Scientia, indagatrix. Quomodo ergo accuratè eam Scientiæ nomine appellare possumus?

9. Sapientia ergo verum genus Metaphysices constituet, hæc enim res præstantissimas & honoratissimas considerat, quod de Metaphysicâ optimo jure dici potest. Præterea competit Metaphysicæ Sapientiæ propria, quorum sex enumerantur à Philos. I. i. Metaph. Summæ 1.c.2.

10. Versatur Metaphysica (1.) circa omnia & universalia (2.) versatur circa difficultia, neq; scitu homini facilia, (3.) parit cognitionem certissimam, habet enim prima & independentia principia (4.) est apta ad docendum, causasq; rerum tradendas. Sunt enim causæ illæ, de quibus in Metaphysicis agitur, independentes & primæ. (5.) est appetibilis & eligibilis propter se, solius scire gratiæ. (6.) principalior est, & aliis dominatur. Contemplatur enim causas omnium primas, quæ sunt fundamenta ceterarum omnium disciplinarum.

11. Atq; hinc patet, Metaphysicam esse verè sapientiam ; Cùm enim ei omnes conditiones sapientiæ assignentur, quis eam sapientiam esse negabit? Ceterum vide hæc de quæstione plura apud ipsum Aristot. loco allegato, Rever. & Excell. Dnm. D. Jacob. Martini Problem. Philosophic. Disp. 6. q. 2. Fran. Svaretz. disp. 1. sect. 5. prob. 6. Clariss. Dnni. Scharff. Disp. 1. Metaph. th. 36.

Quæstio IV.

An Unum, Verum, Bonum, sint accidentia Entis?

1. Ens habere quasdam Affectiones extra controversiam est ; An verò sint accidentia Entis, disceptatur.

2. Quidam asslere id non verentur, ex hæc ratione, quod Metaphysica ea de suo subjecto, Ente videlicet, demonstrat. Verum hæc ratio procedit à particulari : Quædam quidem Scientiæ, quarum Subjectum est cum accidente compositum, accidentia de suo subjecto demonstrat. Sed cùm Metaphysica tale subjectum non habeat. [Ens enim à tali combinatione est alienum] de eo quoq; accidens demonstrare non potest, quod pleriq; statuunt. [D. Jacobus Martini.]

3. Incommode autem & nullo modo Affectiones accidentia Entis posse appellari liquido indè apparet, quia & ipsum accidens est Entis species.

gies. Species autem subjecti, nunquam est subjecti accidens. Et si hæ
affectiones essent accidentia, attributum fieret ipsum subjectum, atq;
ita idem de se ipso demonstraretur. Præterea si forent Entia (omne
quippè accidens est Ens) sequeretur processus in infinitum. Nam si af-
flectio rei esset Ens, haberet etiam affectiones, quæ similiter essent Entia,
eq; rursus alias haberent affectiones; & sic deinceps in infinitum pro-
gredi licet.

4. Concludimus itaq; Unum, Verum, Bonum non esse Entia, &
consequenter non accidentia, sed modos Entis, per quos realis & pos-
tiva perfectio Entis explicatur. Inter modum autem rei & rem ipsam
(cujus accidentia sunt species) quis non distinguat?

COROLLARIA.

- I. Ad subjectum Metaphysices potest etiam DEUS referri.
- II. Malum non est Substantia.
- III. Accidens non potest producere vi propriâ Substantiam.
- IV. Principiorum omnium prima est: Impossibile est idem si-
mul esse, & non esse.

QUESTIO V.

An de eur talis Materia prima qualis ab Aristotele describitur?

1. Quod si rei cuiuspiam difficultas tantum haberet virium, ut ho-
minem naturaliter scire desiderantem à contemplatione absterrere pos-
set, certe præ multis anfractuosis dubiis, solius Materiæ prima obscuri-
tashoc præstare valeret; cum illa valde intricata, & cognitu difficilis vie-
deatur.

2. Verum, quia appetitus, quem provida rerum domina, Natura-
nobis insevit, non ad ignorantiam, sed cognitionem nos allicit: Con-
veniens omnino erit, conjunctis ingenii nervis eò laboremus, ut igno-
rantiam abigere, scientiam acquirere, & studio adhibito hanc difficul-
tatem superare, obscuritatem tollere queamus. Idcirco ne latius diva-
gemur, ad id, quod res est, accessum paramus, & Materiam primam
considerandam aggredimur.

3. Esse vero aliquam Materiam primam hoc modo liquet: Datur
materia, Ergo etiam dabitur prima. Consequentia est manifesta, aliæ
enim fieret processus in infinitum.

4. Accipio enim Elementum aliquod, v. g. Aquam. Hoc Ele-
mentum componitur ex Materiâ & Formâ, quia est corpus naturale. Quæro
jam,

jam, Materia aquæ in se considerata, vel est prima, vel secunda, hoc est, vel componitur ex aliâ Materiâ & formâ. Si prima, habeo, quod volo, si secunda, componitur ex aliâ priore. De hâc ergo vicissim quæro, vel est prima, vel secunda, Si secunda, nunquam pervenies ad finem, quod absurdum. Ergo necesse est fateri tandem Materia Elementi esse Materiam primam in se consideratam.

5. Apertior & clarius est ratio ducta à naturâ transmutationis, in subiecto tantum fieri natæ. Si enim datur elementorum transmutatio, ut certè datur, necessarium est, ut detur subiectum, in quo ista transmutatio fieri possit.

6. Aquam enim in aërem mutari quotidiana docet experientia; Ex aquâ siquidem extrahuntur halitus quidam, qui postea in aërem vertuntur, quod sæpius in illis contingit, qui magis ad aëream naturam accedunt; sunt enim quidam halitus maximè rari ac tenues.

7. Neq; hîc objici potest, halitus illos non mutari in aërem, sed condensari à frigore & postea resolvi in aquam. Illud enim fortasse de illis halitibus, qui sunt crassiores & densiores, concedere possemus. Illi autem, qui sunt rari ac tenues, cum majorem habeant affinitatem cum aëre, potius in aërem, quam in aquam mutabuntur.

8. Ut quidditatem Materiæ primæ plenius investigemus, sciendum est, Materiam primam dupliciter considerari: Primo enim accipitur in notione primâ, quando secundum se, & in suâ essentiâ, quatenus Ens est, quamvis valde imperfectum & incompletum, consideratur absolute. Et hâc notione ad Metaphysicam spectat, quippe quæ Entia in propriâ essentiâ contemplatur, & ideo de Materiâ etiam *diaœne* instituit.

9. In notione secundâ accipitur, quando sumitur relatiæ; & hac acceptio ad Physicam pertinet, quatenus est principium corporum naturalium. Et in hac notione talem definitionem Materiæ assignavit Philosophus l. i. Phys. c. 9. f. 82. Materia, inquiens, est primum subiectum uniuscujusq; rei ex quo fit aliquid, cum insit non secundum accidentem; Et si corrumperit aliquid, in hoc abibit ultimum.

10. Si priori modo consideretur, adimimus ei omnia accidentia, omnes etiam formas substanciales, non quod peculiari actu existat, sed quod in se considerata in suâ essentiâ nihil eorum includat. Si verò Materiam primam physicè & in notione secunda accipiamus, tribuunt ei Aristoteles & Interpretes ipsius Potentiam passivam universalem, apicem
B
reci.

recipiendi omnes formas indistinctè : cui accedit Privatio, necessaria tñ
propter generationē, tñm quia principia mutuam sibi præstant operam.

11. His ita præmissis facilè probare possumus, Materiam etiam ante formarum adventū essentiam suam obtinere ; Nam quod non omnino nihil est, aliquid sit necessum est : Jam verò Materia ante adventum formarum non est omnino nihil, ut jam indicatum ; Ergò erit aliquid, & consequenter Ens. Et si non esset Ens, quomodo esset subjectum generationis ? quomodo reciperet formas atq; sustentaret ?

12. Ut autem proximius ad rem accedamus, affirmamus Materiam primam ante formarum adventum non ideo dici in formem, omni qualitate, & quantitate carentem, quasi absq; illis existat : sed quod in sua natura non habeat aliquam certam, limitatam, & propriam formam, itidem proprias qualitates, quæ materiam certo modo coartant, neq; etiam peculiares quantitatis terminos : sed ideo ista illi tribuuntur, quod omnes formas, omnes qualitates corporeas & quantitates successivè recipere possit, quod non facit materia secunda. Ideo scribit humanæ Sapientiæ parens Aristoteles, Materiam ad formas ferri per appetitum, & eas appetere ut foemina matrem, & turpe pulchrum ; qui appetibus naturalis est, non animalis.

13. Neq; tamen hæc pugnant (utor verbis Rev. & Excell. Dn. D. Jac. Martini Cent. I. Quæst. Illustr. Philos. Disp. 4. q. 4.) cum veritate verbi celestis ; siquidem ea naturaliter dicta ut in omni naturali generatione irrefragabiliter & perpetuò se habent, ita naturaliter intelligenda sunt : sano interim & salvo manente sensu Veritatis divinæ, quæ de supernaturali creatione & destructione loquens summā cum reverentiâ est cogitanda & credenda.

Quæstio VI.

Quæ sit Origo Anima?

1. Inter ea, quæ de humana anima agitari solent *γνήσια*, omnium difficultissimum scrupulisq; plenum esse illud, quo de origine ejusdem quæritur, non clam eis esse potest, qui per transennam saltim Theologorum & Philosophorum scripta de hac materia inspexerunt.

2. Causam hujus *δοκεῖς* videtur ipse reddere Aristoteles, quando l. i. Post. c. i. §. 1. 2. ita dicit : difficultatem propter duos respectus accidere ; Aut ex parte ipsius rei cognoscendæ, Aut ex parte Intellectus. Hinc respectu Intellectus nostri instar vespertilioq; ad lumen cœquentis cognitio

gnitio de Animarum Origine est difficillima. Unde etiam factum est, quod plerunq; in enodandis & explicandis spinosis quæstionibus fieri conseruit, ut tot discrepantes opinione de hac materia extarent.

3. Quidam enim statuerunt Animas nostras ex substantia DEI productas esse; Alii animas ab Angelis sive Geniis esse creatas; Alii animas omnes unà cum Angelis esse creatas, & à DEO velut in Apothecā sive thesauro tam diu assertari, donec suis corporibus associerentur. Pythagoram animas à DEO ex animâ mundi, hoc est, substantiâ celesti, esse conditas statuisse accepimus; unde subsequuta postmodum est μετερψυχωσις, quam statuere nolens volens coactus est.

4. Nostra si requiratur sententia (verba sunt D. Jacobi Martini Disp. 5. q. 6. Cent. primæ) dicimus animam non immediatè creari de novo, sed per traducem propagari. DEUS enim nō ἀμέτωπος sed ἐμέτωπος parentum ministerio vi efficacissimæ suæ benedictionis, in primâ rerum creatione non tantum brutis, sed & hominibus inditæ, hoc suum generationis opus promovet & perficit, ita quidem ut homines non communia duntaxat cum ceteris brutis, nimirum corpus, sed & animam per traducem, modo tamen imperficiabili, & soli DEO perfectè cognito, propagent.

5. Manifestum enim est DEI benedictionem in ceteris creaturis non expirasse, sed adhuc durare. Videmus siquidem quòd quælibet creatura foetus suos perfectos producat, leo leonem, bos bovem, equum; nec alia causa reddi potest, nisi benedictio illa divina adhuc hodie in creaturis perdurans. Ergo multò magis homines vii illius benedictionis non insolito illo creationis modo ex nihilo, sed mediato modo à DEO sancto totum & perfectum procreabunt hominem; præferunt cùm & illi plenam & efficacem benedictionem ad producendum, totum compositum acceperint.

6. Qui procreationem animarum immediatè ex nihilo statuunt illi efficiunt, ut afferatur, hominem non hominem generare, sed irrationale animal; cùm enim à nobiliori parte, Anima nimis, quis sit & denominetur homo, illam autem extrinsecus infundi illi statuant, manifestè concluditur, hominem non hominem, sed brutum generare.

7. Tandem sequeretur, conditionem & generationem hominum esse deteriorem generatione brutorum, quæ totum animal quoddam cum formâ specificâ propagant. Manifestè hinc sequitur, si velint hæc

absurda absurdissima declinare, ut necessariò statuant, animam non ex nihilo creari, sed propagari.

8. Si queras, qui fiat, quod anima peccato Originali inquinata atq; infecta sit: dici potest, ideo illud esse, quod non extra semen, sed in & ex semine, in quo parentum labes hæret, fuerit anima producta.
D. Jac. Martini sub finem hujus quæstionis.

COROLLARIA.

- I. Absurdissima est sententia illorum, qui DEUM ad subjectum Physics referunt.
- II. Natura non intendit monstrum.
- III. Iris fuit etiam ante diluvium.
- IV. Visio non sit emissione radiorum, sed receptione specierum visibilium.

QUESTIO VII.

An Virtutes Homiletica rectè Virtutibus annumerentur?

1. Multi Virtutes Homileticas ex Virtutum numero exterminare conantur ex eo fundamento, quod Renovati Spiritu exhilarare se debent psalmis & cantilenis spiritualibus (Eph. 6.) & per consequens non joculis verbis, quod exigunt virtutes Homileticæ. Tum quod ob neglectum Virtutum Homileticarum nemo afficiatur poenis. Nemo enim propterea det poenas, quod non possit jocari vel fabulas narrare; & ita incommodè virtutibus annumerari contendunt.

II. Hæ sunt rationes, quibus evincere conantur (si Dis placet) Virtutes Homileticas male reliquis Virtutibus annumerari. Nos, ne cum his faciamus, distinguimus inter usum & abusum; loquitur enim Paulus in illo dicto de abuso & scurilitate; ab abuso autem ad usum, argumentari, nihil à quæ ~~et~~ rem. Quanta enim monstra inde enascentur? Nec etiam illa sequela valet. Debemus nos cantionibus spiritualibus exhilarare, Ergo non debemus modestè jocari. Quis enim ignorat, hæc esse subordinata, non pugnantia?

3. Nimis etiam frigidè inferunt, virtutes Homileticas ideo etiam male virtutibus accenseri, quia ob earum neglectum nemo afficiatur poena: Cum propter aliarum Virtutum neglectum nemo quoq; afficiatur poenâ vel præmio, ut sunt Magificentia, Magnanimitas, quæ tamen inter Virtutes recensentur. Imò docet experientia, quod qui optimè no-

verint

verint modum jocandi, maximis sēpē onerentur p̄mīs, contrā mul-
ti ob vitam morosam & austera m̄culpentur.

4. Affirmativam verò tuentes partem moventur (1.) virtutum
principiis; Profluent enim ex mentis judicio, voluntate, consultatione
& p̄ælectione, Competit (2.) iis definitio virtutis, ergo & ipsum defini-
tum. Consistunt (3.) inter duo extrema cum reliquis virtutibus; quis er-
go easdem iis nōn velit annumerare?

5. Virtutum Homileticarum præterea maximus usus est in vita
communi & quotidiana, in ferme major, quām reliquarum omnium,
cūm sine his reliqua non semper sint accepta. Sicut enim cibus salis ex-
pers, est ingratus: ita vita nostra est odiosa & ingrata, nō morum & vir-
tutum Homileticarum salē sit aspersa & tincta.

Quæstiō VIII.

An Virtus Heroica differat specie à Virtute Moralibus?

1. Ita quidem videtur, si consideretur ejus causa efficiens, quæ pū-
tatur esse D E U S, singularem hominibus concedens gratiam, quæ reli-
quis prælucet. Moralis autem virtutis causa efficiens est homo, quæ
duæ causæ longissimè inter se distant. Contrarium etiam hujus virtutis,
quod est Feritas, differt à reliquis virtutis, cūm illa sit ferarum, hæc verò
sint hominum. Tantum ergo abest, ut huic sententiæ caleulum nostrum
addamus, ut potius negativam ambabus, quod aīunt, manibus ample-
ctendam censeamus.

2. Magis enim & minus non variant specie, virtus autem Heroica
& Moralis differunt tantum secundum magis & minus, Ergo non dif-
ferunt specie. Minoris veritas indè apparet, quia virtus Heroica virtuti-
bus Moralibus est excellentior, & quasi omnium virtutum perfectio,
quæ in prædictis inesse summè divinà, tūm etiam semideis deprehendi-
tur; Exempla obvia sunt in Davide, Iosuā, Simsonc, & aliis.

3. Actiones etiam Virtutis Heroicæ oriuntur ab eodem principio
cūm virtute Morali p̄ælectione scilicet; ergo non possunt specie dif-
ferre. Conveniunt insuper virtus Heroica & virtutes Morales objecto,
versatur enim circa res præstantiores, & in quibus elucet honestas.

4. Ex quibus colligitur virtutem Heroicam convenire cum reli-
quis virtutibus specie: differre tamen ab iis gradibus concedimus. Est
enī Virtus Heroica reliquarum virtutum eminentia, & non, nisi divi-
nitus homini inesse putatur, cūm reliqua Virtutes Morales mediocri-
conatu acquiri possint.

B 3

f. Pro-

5. Probatio Affirmativa sententia non est simpliciter vera: Animalia enim quæ vi astrorum ex putri materia generantur (ut sunt mus, ranae) sunt ejusdem specieicum aliis ejusdem nominis, quæ semine generantur. Feritatem etiam vitio morali esse deteriorem negamus.

6. Vitium enim morale per cebros habitus vitiosos acquiritur & contrahitur; Feritas autem per naturam inesse videtur, cum non corruptio, sed privatio sit usus rationis. Jam notum est quod vitium propriâ culpâ acquisitum deterius sit vitio naturali; hoc enim facilius veniam, illud verò poenam meretur, quia culpa præligerentis est: dum autem excluditur ratio (ut in vitio naturali Feritate) excluditur præelectio & origo culpæ, ac improbitatis. Franc. Piccol. Confirmat hanc sententiam ipse Philosophus. 7. Ethic. c. 6. Feritas, inquiens, est minus malum, quam vitium.

7. Nec Feritas dicitur ratione subjecti, quasi soli competat bestiæ, sed ratione adjuncti, quod tam pessimum sit vitium, ut turpitudine suâ sit detestandum; Et ratione effecti, quod ex hominibus feras efficiat.

COROLLARIA.

I. Virtus nobis non inest à naturâ.

II. Verecundia non est virtus.

III. In statu Integritatis in Adamo fuit fortitudo.

IV. In feminas cadere virtutem Heroicam docet pagina divina.

QUESTIO. IX.

An iū, qui latroni pro redimendâ vitâ aliquid promittit, teneatur solvere, & promissum servare?

I. Acriter disceptatur de quæstione propositâ inter Ethicos & Politicos, Theologos & Jure consultos: quidam proflus negativam partem tenere videntur, quidam affirmativam. Quam, quia est probabilior, magisq; veritati accedit, & nos amplexamur, eamq; probamus ex Juramenti definitione.

2. Juramentum enim, prout ejus definitio habetur apud Chemn. Loc. Theol. part. 2. p. 50. est Invocatio Nominis divini, quâ petimus, ut DEUS sit testis de nostro animo, quod non fallere; velim us homines eâ in re, de quâ asseveramus; & simul petimus, ut DEUS sit vindicta, si fellerimus, & nos ipso teste ad poenam obligamus, secundum ipsius comminationem. Hoc modo si latroni datum fuerit juramentum, omnino illud servandum erit.

3. Lex

3. Lex etiam divina & humana jubet, ut eligamus ex duobus malis minus; jam verò jactura rerum externarum & temporalium est minus malorum, quām perjutum, quod quis corrompit, si promissum non solvit, & ita falso jurat. Et quod ex hoc consequitur, obedientia erga DEUM, & ejus gloria, singulis rebus est praeferenda; is verò qui latroni promissum non præstar, perjurus sit, peccans contra secundum præceptum, ubi DEUS severè mandat, ne pejeremus addita gravissimâ comminatione.

4. Interest præterea Reipublicæ, ut civis servetur; si verò Civis latroni necem minanti silentium juraret, & promissum non servaret, nec sibi, nec Reipublicæ consuleret.

5. Distinguimus tamen inter res possibles & impossibilis: Si impossibilis, juramentum non obligat, sī minus, omnino est servandum. Distinguimus etiam inter juramentum, quod est contra bonos mores, h. c. contra legem naturæ, & inter juramentum, quod videtur esse contra legem civilem.

6. Juramentum contra legem Naturæ, v. g. de interficiendo Principe, de stupro virginī inferendo, ex metu vel infirmitate præstitum, non est obligatorium, quia quod est impium actu, est etiam impium juratu. Juramentum verò etiamsi videatur esse contra legem Civilem, v. g. de silentio latroni promisso, tamen omnino est servandum, & si quispiam illud non servaverit, licet mereatur veniam coram magistratori, tamen non meretur coram Magistratu poli.

QUESTIO X.

An Regnum Turcarum sit Monarchicum?

1. Quæstionis hujus affirmativam partem si quis obstinatè amplectatur, sanumne illum dixerim an insanum? sanè dignum censco, ut dicam laconicè, qui bibat

— purgantes pectora succos

Quicquid & in totâ hâscitur Antycirâ.

Sic enim fieri, ut animo & cerebro probè defæcatis, rectius in posterum discat dijudicare.

2. Evidem si rem politicè velimus considerare, Monarchia dici posset. Tanta enim est ejus potentia, ut Turca ter maximum Imperatorem se appellare non vereatur. Verum enim verò nos magis illorum amplectimur sententiam, qui Monarchie nomen Regno Turcico competeret

petere negant. Confirmant hanc assertionem tūm rationes ex sacris
depromptæ, tūm ex Politicis.

3. Vaticinium enim Danielis quatuor tantum summas Monar-
chias constituit, in quibus numerantur totius orbis regna florentissi-
ma, potentissima, amplissima, duratura serie non interruptā usq; ad ad-
ventum CHRISTI, inter quæ Regnum Turicum numerari nequit.
Nonnulli quidem existimant, per digitos statuæ ferreos in Daniele Re-
gnum Turicum esse accipendum, sed vim inferunt textui, & in os quasi
Prophetæ Danieli contradicunt. Denotatur in sacris per Gog & Ma-
gog, perq; parvum illud cornu, cuius oculi, quasi oculi hominis, & os
loquens ingentia.

4. Monarchiz ab ipso DEO sunt introductæ, ut legimus in sacris,
& quidem ad honorarum perfugium; Turicum autem regnum ab ho-
minis impii & crudelis cupiditate regnandi & audaciâ incepit. Monar-
chia est officina eruditionis, pietatis, honestatis, custos legum & justi-
tiae; in Turcico regno nihil horum curatur; Remoto enim communis
utilitatis respectu, sepositis legibus & justitia, honestate neglecta, pietä-
te profligata, pro lubitu omnia Imperator agit. Eruditionem nihil
facit, ut etiam durissima illorum fors sit, qui sunt artium liberalium &
honestarum studiosi.

5. Finis Monarchiæ principalis est gloria DEI, & salus patriæ; Turca
contra libidinem & voluptatem respicit, honorem mundanum ambit,
per fas atq; nefas omnia rapit. Ut ita Regno Turcico Monarchiæ no-
men indere magis sit perversi & inversi, Ethnici, non Christiani, bar-
bari, non politici. Vid. Dns. D. Jacob, Martini Cent. I. Disp. 8. q. 10.

COROLLARIA.

I. Adamo data fuit potestas patriæ, non politica, & per conse-
quens non fuit primus Monarcha.

II. Legum Origo est ab ipso DEO.

III. Leges Mosaicæ forense abrogatae postliminio non sunt redi-
cenda.

IV. Usuræ possunt tolerari.

—(O)90





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn73022290X/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73022290X/phys_0019)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn73022290X/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73022290X/phys_0020)

DFG

verint modum jocandi, maximis s̄pē onere
ti ob vitam morosam & austera culpentur.

4. Affirmativam vero tuentes partem
principiis; Profluunt enim ex mentis judicio
& praelectione, Competit (z.) iis definitio vir-
tutum. Consistunt (z.) inter duo extrema cum
gō easdem iis non velitat numerare?

5. Virtutum Homileticarum præterea
communi & quotidiana, in ferme major, q.
cum sine his tali quæ non semper sint accepta
pers, est ingratus: ita vita nostra est odiosa &
volutum Homileticarum sale sit aspersa & tinc-

Quæstiō VIII

An Virtus Heroica differat specie à P.

1. Ita quidem videtur, si consideretur ejus
tatur esse D E U S, singularem hominibus c.
quis præluceant. Moralis autem virtutis cau-
duæ causæ longissimè inter se distant. Contrà
quod est Feritās, differt à reliquo vitiis, cùm
sint hominum. Tantum ergo abest, ut huic se-
addamus, ut pōtius negativam ambabus, qu.
Etendam censemus.

2. Magis enim & minus non variant spe-
& Moralis differunt tantum secundum mag-
ferunt specie. Minoris veritas indè apparet, e.
bus Moralibus est excellētior; & quasi on-
quæ in prædictis in mente summè divinā, nūn c.
tur; Exempla obvia sunt in Davide, Josuā, Sim-

3. Actiones etiam Virtutis Heroicæ or-
cum virtute Morali, præelectione scilicet; ergo
ferre. Convenient insuper virtus Heroica &
versatur enim circa res præstantiores, & in qu.

4. Ex quibus colligitur virtutem Her-
quis virtutibus specie: differre tamen ab iis g.
enim Virtus Heroica reliquarum virtutum en-
nitus homini inesse putatur, cùm reliqua
conatu acquiri possint.

